



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

§. 3. Pontificis & Imperatoris dissidia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66394)

Sæcul. XII.
A. C. 1186.

§. III.

Pontificis & Imperatoris diffidia.

*Arnold. Lu-
bec. Chr.
Slau. 3. c. 16.*

*Sup. lib.
LXX. §. 55.*

*Sup. Lib.
LXII. §. 48.*

Urbanus Papa & Fridericus Imperator sæpe consultabant de negotiis rebusque, quas Lucius infectas reliquerat, unde brevi funesta jurgia nata. Nam Urbano Papæ jura Ecclesiæ unice cordi erant, cumque Mediolani primo lucem aspexisset, memori menti inhærebat, quanta mala Fridericus patriæ suæ intulisset. Querebatur vero, quod Imperator contra fas invalisset ditiones, a Matilde Principe Ecclesiæ Romanæ donatas. Quod spolia Episcoporum decedentium sibi raperet, unde successores, cum Ecclesias necessariis omnibus destitutas haberent, a Dicecesanis suis pensiones injuste extorquere cogentur. Tandem quod complura Virginum Cœnobicia pessumdedisset, quorum redditus ærario suo addixisset, obtendens, corruptæ vitæ licentiam in Abbatissis tolerari non potuisse; quasi vero expulsis improbis, alias exploratæ virtutis fœminas subrogare non potuisset. Contra Imperator acriter offendebatur, quod Papa Volmarum, electum Archiepiscopum Trevirensis Sabbato in Vigilia Pentecostes, quod Festum hoc anno millesimo centesimo octogesimo sexto in diem mensis Maji ultimam incidebat, Presbyterum

terum Cardinalem ordinasset ac altera die Archiepiscopum consecrasset. Superius vero meminimus Imperatorem Rudolpho, Volmari æmulo, favisse.

Sæcul. XII.
A. C. 1186.

Sup. Lib.
LXXIII.

§. 56.

Pontificis, parentisque animos sponte aversos sua ferocitate haud parum irritavit Henricus Rex. Cum enim adhuc in Longobardia versaretur, & ex quodam Episcopo, ad se accersito, interrogasset, a quo Investituram accepisset, respondissetque Præsul, se eam habere a Papa, Rex juvenis ter eandem quæstionem repetiit. Tum reponente Episcopo: *Domine! nec Regalia mihi sunt jura, nec Prætores, nec Curia, ideoque Diæcesim, quam rego, a Papa accepi*, Rex a suis Sacerdotem pugnis tundi & per lutum plateæ raptari præcepit. Alia die Urbani Papæ servulo sibi occurrenti magnamque pecuniæ vim deferenti, ea ablata, nares amputari jussit.

Papa Imperatorem ad Judicium vocavit, excommunicationem comminatus, habebatque quosdam præcipuorum in Germania Episcoporum sibi faventes, videlicet Philippum Archiepiscopum Coloniensem, vehementer dolentem, quod omnes defunctorum Episcoporum res mobiles in ararium Principis conferrentur, tum Conradum Moguntinum, Volmarum Trevirensis, & duodecim alios Episcopos, quorum spectatissimus erat

Sup. Lib.
LXXII.

§. 24.

Hist. Eccles. Tom. XVIII.

N Ber-

Sæcul. XII.
A. C. 1186.

Bertoldus Metensis. Nempe ille, quem, anno millesimo centesimo septuagesimo octavo Archiepiscopum Bremensem electum, Alexander Papa deposuerat. Is Archiepiscopatu exutus & e domo sua pulsus Imperatorem adiit, qui commiseratione motus exulem honorifice exceptum apud se detinuit, donec alia Sedes vacaret. Tandemque eum in Ecclesiam Metensem invexit. Bertoldus nihilominus gliscens his ultimis turbis contra Imperatorem stetit, Volmaro, a Papa consecrato, in Germaniam revertenti, ut Ecclesiæ Trevirensis possessionem adiret, obvium se se, etiam extra suam Diocesim intulit, & maximo honore profecutus est. Hinc offensus Imperator Bertoldum e Sede Metensi pulsum, ad fugam capeffendam compulit. Isque ad Philippum Archiepiscopum Coloniensem se recepit, a quo Præbendam in Ecclesia Apostolorum obtinuit. Imperator, Volmarum quoque nec Juribus temporalibus nec spiritualibus in Ecclesia Trevirensi gaudere passus, Rudolphum, quem rediens Volmarus excommunicaverat, tutabatur. Sed & Henricus, jubente Patre, Volmari clientes & fautores spoliavit, domosque ærario Cæsareo adscripsit. Quare Volmarus, in Angliam fugere compulsus ibidem factis occupatus est.

Chr. Belg.

S. IV.